

Scio tabulariorum in antiquioribus chartis magnam sæpe esse inopiam, propterea vel ex eo capite gratiora fore hæc mihi polliceor, quod omnia vel publica Archivi vel aliorum Documentorum Originalium quæ sæpe integra exhibui, non contemnendâ fide nitantur. Quibus enim ulus sim adminiculis, in singulis etiam minutissimis memoratur & Lector unde hauserim eruditur. Veteres Stirpium traditiones vero, aliaque minus certa, ideo non curavi, ne mihi alioquin cum Summis Viris dicendum dolendumque sit: *Plura transcribo quam credo, nec adfirmare sustineo de quibus dubito, nec subducere quæ accepi.*

In recensendis autem Familiis nullum prorsus ordinem servavi, ne quis sentiat, me de Προεδρίας Juribus inter Stirpes sollicitum fuisse, aut circa antiquitatem, dignitatemque Earum arbitrium interposuisse.

Sigilla, quæ veteres documentis suis appendere soliti sunt, æri incisa, exhiberi curavi, quæ forte non parum scutarias Illustrium Profapiarum tesseras illustrabunt.

Tandem Mantissæ loco de Officialibus Provinciarum quarundam Austriacarum Hæreditariis, quibus nimirum AUSTRIA utraq; , STYRIA, CARINTHIA, CARNIOLA, TYROLIS, GORITIAque ab antiquo gloriantur, adjectis non raro diplomatibus integris, commentatus sum, quæ suo usu non omnino carebunt.

His itaque per otium & relaxationem animi à publicis curis; absque Lege & Ordine collectis, utere, Mi Lector, si placent, sin minus, boni tamen consule, æternumque Vale.



COL